

sufficit velle, quo nihil facilius gratia Dei, quæ nulli denegatur. Si autem illi cui fit dura, & gravis dilectio inimicorum, id non provenit ex præcepto, sed ex corruptione naturæ, quæ inordina-

to appetitu cupit vindictam de inimico; & quia non vult dimittere, fingit laborem in præcepto. Vellit, & implementum est. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8.

TRACTATUS SEPTIMUS

DE FIDE.

Fides, spes, & caritas sunt quædam præambula ad legem, & reducuntur ad primum Decalogi præceptum; unde harum virtutum notitiam per prius exponendam aggredimur, incipientes a fide, quæ est humanæ salutis initium, ut ait Trid. Concil. sess. 6. cap. 8.

CAPUT I.

De natura, objecto, subjecto, necessitate, & præceptis fidei.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio fidei.

1. Inq. 1. Quis sit fides? R. fides in communi est credere, quod non videmus, ob testimonium dicentis. Si dicens est homo, erit fides humana, si dicens est Deus, erit fides divina, & de hac loquimur in præsentia. Igitur fides divina est virtus supernaturalis, quæ creditur veritates a Deo revelatas, & ab Ecclesia propositas. Dicitur virtus supernaturalis, quia a Deo nobis infunditur, & nequit nostris actibus acquiri: quæ creditur veritates a Deo nobis revelatas, quia quæ fide credimus, excedunt omnem captum, & vires naturales. Additur & ab Ecclesia propositas, quia Ecclesia est magistra veritatis, per quam Deus vult omnes suas veritates nobis credendas proponi, ne unusquisque credat, quod velit, ut accidit hæreticis. Unde dixit Augustinus lib. contra epist. fundamenti cap. 5. Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia commoveret authoritas. Tradita definitio coincidit cum descriptione ab Apostolo facta ad Hebr. 2. nempe fides est sperandarum substantia rerum, argumen-

tum non apparentium. Substantia, id est basis, seu radix rerum sperandarum. Argumentum, id est manductio, seu firma rebus, quæ non videntur, adhesio, ait D. Thom. 2. 2. q. 4. a. 1.

2. Inq. 2. Quotuplex sit fides? R. est actualis, & habitualis. Actualis est ipse actus, quo credimus veritates a Deo revelatas. Habitualis est habitus, quo ipsas veritates credimus. Deinde fides actualis alia est implicita, alia explicita. Implicita est, quando aliquid creditur in alio, ut in principio universali contento; ut qui credit ea, quæ docet sancta mater Ecclesia, credit implicite omnia mysteria ab ea proposita. Explicita datur, quando articulus in particulari, & explicite creditur, ut mysterium Sanctissimæ Trinitatis, aut Incarnationis. Credens implicite tantum credit, ac explicitate credens; & differentia solum consistit in eo, quod credens implicite non discernit unum articulum ab alio, sicut credens explicitate.

3. Dividitur etiam fides in formatam, & informem. Formata est, quæ conjungitur cum gratia, & caritate, ut in iustis. Informis est, quæ caret gratia, & caritate, ut in peccatoribus. Non sunt duo habitus, nec differentie speciei fides formata, & informis, tantum ergo distinguuntur accidentaliter, sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie, immo in eadem numero entitate, ut patet in quolibet fideli, qui licet transeat de iusto in peccatorem, aut e contra, eandem fidem entitative retinet. Tandem potest dividi fides in publicam, & privatam. Publica est, quæ proponitur a tota Ecclesia. Privata est, revelatio facta a Deo particulari personæ, quæ indiget evidentia in attestante, ut possit, & de-

beat

beat firmiter eidem revelationi credere.

timonio Dei, cui impossibile est subesse falsum.

PUNCTUM II.

De objecto, & subjecto fidei.

4. Inq. Quod sit objectum fidei? R. Est duplex, aliud materiale, seu formale quod; aliud formale quo. Objectum igitur materiale, seu formale quod fidei primum est Deus, & omnes veritates, quæ de Deo creduntur. Objectum secundarium sunt omnes veritates, quæ de creaturis a Deo revelantur, ut de Adam, Eva, & cæteris. Nam objectum materiale cuiusvis habitus est omne id, ad quod ipse se extendit; sed fides se extendit ad omnes veritates a Deo revelatas, & ab Ecclesia propositas: ergo omnes sunt objectum materiale fidei. Tum sic: sed quod primum credimus per fidem est ipse Deus; reliqua vero per ordinem ad illum: ergo Deus est objectum primum fidei; cætera autem objectum secundarium. Ad hoc, licet ut quid principale, pertinet humanitas Christi Domini.

5. Objectum formale quo, vel ratio formalis sub qua fidei est prima veritas obscure revelans, vel revelatio formalis: nam si a fideli quæras, cur credit Deum esse trinum, optime respondet: quia ita est revelatum a Deo, qui nec fallere, nec falli potest; ratio autem cur non potest fallere, nec falli, plusquam ad fidem attingit ad Theologiam, quæ per legitimum discursum infert, non posse fallere, quia est summe verax; nec falli, quia est summe sapiens; licet hoc ipsum per alium actum fidei vere credamus. Unde ultima resolutio assensus fidei fit in auctoritatem Dei revelantis; propositio autem Ecclesiæ tantum est conditio exponens, quæ sunt, vel non revelata a Deo. Hæc Ecclesiæ propositio deservit nobis pro evidentia in attestante, quæ est certitudo, quod Deus est, qui loquitur, aut revelat. Ex contemptu hujus propositionis errant infelices hæretici.

6. Inq. 2. Qua certitudine gaudeant veritates fidei? R. gaudere certitudine super metaphisica, quæ omnem aliam certitudinem superat; ita ut impossibile sit oppositum accidere, quia nituntur tes-

Tom. I.

timonio Dei, cui impossibile est subesse falsum.

7. Inq. 3. An mysteria fidei sint evidenter vera? R. quod licet mysteria fidei non sint evidenter vera, sunt evidenter credibilia, juxta illud Psalm. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Pro quo nota, quod evidenter verum solum est illud, quod videmus, aut per claram demonstrationem agnoscimus, & hoc pugnat cum fide. Evidenter autem credibile est illud, quod argumentis, & motivis adeo manifestis probatur, ut convincant rationem, & prudentiam ad credendum. Sit exemplum in eo, qui numquam fuit Romæ, huic non est evidenter verum Romam esse, quia illam non vidit; est tamen evidenter credibile Romam existere, quia tot sunt testimonia hujus veritatis, ut omne dubium expellant, & illam faciant evidenter credibilem. Ita ergo mysteria fidei sunt evidenter credibilia propter argumenta adeo luculenta, & motiva adeo manifesta, quæ illa testantur, probant, & confirmant. Tot enim vaticinia Prophetarum, innumera Martyrum multitudo, tanta miraculorum copia, Idolorum eversio, religionis sanctitas, & admirabilis ejus propagatio cum aliis pluribus argumentis efficiunt fidem nostram evidenter credibilem. Ita ut si decipimur, a Deo decipimur: quod est impossibile; Deus enim non deceptor, sed verus, verax, & ipsa veritas est.

8. Nihilominus pia affectio, seu pia motio voluntatis, quæ probabilis est supernaturalis, requiritur necessario ad fidem; quia intellectus, etiam positus omnibus requisitis, & argumentis ad credendum, adhuc non convincitur, sed manet indifferens propter obscuritatem objecti: ergo petit necessario determinari a pia affectione voluntatis, quæ objecti evidentiam suppleat. Ex defectu hujus piæ affectionis sunt plures increduli, obturando misere aures suas motivis, & argumentis adeo credibilibus.

9. Inq. 3. Qui sint præcipui actus fidei? R. sunt tres, nempe credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. His actibus adæquate exercetur habitus fidei circa objectum primum: hoc est, credere Deo, tamquam primæ veritati re-

Pp

ve-

velanti : credere Deum , tamquam veritatem revelatam , id est Deum existere : & credere in Deum tamquam in ultimum finem . Unde credimus Ecclesiam catholicam , non tamen credimus in Ecclesiam catholicam : quia licet credamus vere dari Ecclesiam catholicam , nullatenus vero credimus in Ecclesiam tamquam in ultimum finem . Credimus Paulum , sed non in Paulum , dicit D. August. tract. 27. in Joan.

10. Inq. 4. Quodnam sit subjectum fidei ? R. Subjectum quo proximum fidei est intellectus , quia est virtus intellectualis , cuius objectum est verum . Subjectum quod est omnis viator . In beatis non est fides , quia sunt comprehensores , gaudente clara visione . Potiore ratione in Christo Domino non fuit fides , quia erat perfectissimus comprehensor : verum Angeli , dum fuerunt in via , habuerunt fidem , non solum Dei auctoris supernaturalis , sed etiam mysteriorum Trinitatis , & Incarnationis , ut docet D. Th. 1. p. q. 57. a. 5. & alibi.

11. Inq. 5. An in damnatis reperitur fides supernaturalis ? R. neg. quia nec sunt viatores , nec comprehensores , sed obstinati in malo , & destituti omni bono , & auxilio supernaturali . Verba autem Jacobi cap. 2. *Damnati credunt , & contremiscunt* , intelliguntur de fide naturali , & coacta vi signorum , maxime tormentorum . In animabus purgatorii permanet fides cum spe , & caritate , quia quæ credunt adhuc non vident . Peccatores non infideles retinent fidem licet languidam , & pene mortuam , quia *fides sine operibus mortua est* .

12. In hæreticis nequit reperiri fides theologica , quia rejiciunt rationem formalem fidei , nempe divinam revelationem ab Ecclesia propositam ; credunt , quæ volunt , & quæ nolunt despiciunt . Unde dum misere putant se habere fidem , solum habent opinionem quamdam secundum propriam voluntatem , dicit D. Th. 2. 2. q. 5. art. 3.

РУМСТУМ III.

De necessitate fidei ad salutem.

§. I.

De credendis necessitate medii.

13. Supponendum est 1. dupliciter aliquid esse , aut dici necessarium , vel necessitate medii , vel necessitate præcepti . Illud est necessarium necessitate medii , sine quo salus nullo modo obtineri valet , ut baptismus in re susceptus fuit omnibus ad salutem fides , saltem implicita , tanti mediatoris : & idem est de mysterio Trinitatis . Dicimus omnibus fuisse necessariam fidem saltem implicitam , quia aliqui illam habuerunt explicitam de utroque mysterio , ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. & 8.

14. Supponendum est 2. salutem supernaturalem , de qua loquimur , esse duplicem , nempe primam , & secundam , hoc est gratiæ , & gloriæ , vel justificationis , & glorificationis : quod autem asseritur esse necessarium ad primam , necessarium est utique ad secundam . Nec dubitamus fidem habitualem esse necessariam necessitate medii ad utramque salutem , quia nulla salus sine gratia sanctificante , ad quam , ut ejus proprietates , consequitur necessario fides habitualis . Sermo ergo est de fide actuali necessaria adultis , nam parvuli per fidem habitualem susceptam in baptismo salutem consequuntur . Quibus suppositis :

15. Inq. 1. An omnibus adultis usu rationis præditis necessaria sit necessitate medii fides actualis explicita Dei auctoris supernaturalis , & remuneratoris ? R. affirm. patet ex Apost. ab Hebr. 11. *sine fide autem impossibile est placere Deo . Credere autem oportet accedentem ad Deum , quia est* , & inquirentibus se , quod remunerator sit : & ex Trident. supra laudato docente , fidem esse fundamentum , & radicem omnis justificationis . Constat etiam ex prop. 22. proscripta ab Innoc. XI. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii , non autem explicita remuneratoris* , & ex prop.

Cap. I. De natura, objecto, & præceptis fidei.

prop. 23. *fides late dicta ex testimonio creaturarum , similique motivo , ad justificationem sufficit* . Requiritur ergo ad justificationem fides explicita supernaturalis Dei , & remuneratoris , ut docet Apostolus .

16. Inq. 2. An post lapsum Adami , & ante Evangelium fides Christi saltem implicita fuerit necessaria necessitate medii ad salutem ? R. affirm. Quia supposito peccato originali , & in hac providentia non erat salus possibilis , nisi per Christum mediatorem : ergo necessaria fuit omnibus ad salutem fides , saltem implicita , tanti mediatoris : & idem est de mysterio Trinitatis . Dicimus omnibus fuisse necessariam fidem saltem implicitam , quia aliqui illam habuerunt explicitam de utroque mysterio , ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. & 8.

17. Inq. 3. An , supposita Evangelii promulgatione , sit omnibus ad salutem necessaria necessitate medii fides explicita mysteriorum Trinitatis , & Incarnationis ? R. affirm. Constat ex cap. 16. Marci : *Qui crediderit , & baptizatus fuerit , salvus erit ; qui vero non crediderit , condemnabitur* , & ex Symbolo D. Athanasii , ubi utrumque mysterium proponitur omnibus necessario explicite credendum . Idem docet D. Thom. ibi .

18. Inq. 4. An aliquando per accidens possit quis salvari sine fide explicita utriusque dicti mysterii ? R. negativè , quia licet sententia affirmativa non careat fundamento in D. Thom. art. 7. *dicato ad 3. expressius tamen docet negativam in 3. dist. 25. q. 2. a. 2. questione. 2. Ubi ait , quod completo , & prædicato mysterio Christi , omnes tenentur ad explicite credendum , & si aliquis instructorem non haberet , Deus ei revelaret , nisi ex sua culpa remaneret* . Sentit igitur quod in nullo casu valet quis salvari sine fide explicita mysterii Incarnationis , & Trinitatis , quam in Incarnatione profitemur : respondet etiam ad casum Cathecumeni solum instructi circa Deum , ut remuneratore , cui ut salvus fieret , revelaret Deus dicta mysteria , ut ea explicite crederet , nisi ex sua culpa remaneret .

19. Inq. 5. An sola fides sufficiat ad salutem sine operibus ? R. neg. consta ex

cap. 2. ep. D. Jacobi , ubi dicit : *quid prodest frater mei , si fidem quis dicat habere , opera autem non habeat ? Numquid fides poterit salvare eum ?* Et subdit : *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo , & non ex fide tantum* . Et demum concludit : *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est , ita fides sine operibus mortua est* . Quæ verba adeo luculeta sunt , ut hæretici eorum claritate convicti , denegant hujus epistolæ auctoritatem . Sed hoc est in scyllam incidere , cupientes vitare charybdim .

20. Itaque credere mysteria fidei bonum , & necessarium est , sed non sufficit ad salutem : nam vera fides simul speculativa , & practica est . Ut speculativa docet scire , & credere mysteria symboli , ut practica jubet servare mandata Decalogi . Symbolum sine Decalogo non salvat . Debemus veram habere fidem , & ipsi conformare mores , & opera . Unde Christus ad juvenem jam credentem dixit : *Si vis ad vitam ingredi , serva mandata* . Et in judicio , non de fide , quæ supponitur , sed de operibus profertur ultima , & irreparabilis sententia . Unusquisque ergo fidelis , qui ad vitam vult ingredi , curet sollicite juxta suum statum , & professionem congruis operibus fidem suam comprobare . Nemo fidat commentis , & nugis Lutheri , & Calvinii , qui misere errant , & faciunt errare , contententes solam fidem sufficere ad salutem .

§. II. *Abbe rathesgill* , *multa sunt in* , *multa sunt in* , *multa sunt in* .

21. Inq. 1. Quid debeat credere adultus ? R. quod omnis adultus debet , per se loquendo , credere explicite necessitate medii mysteria , quæ pertinent ad principium , medium , & finem . Quæ pertinent ad principium sunt , dari Deum auctorem supernaturalem , remuneratorem bonorum , ultoremque malorum : in quo implicite creditur primo , providentia Dei ; secundo , ei bona opera placere , & mala displicere ; tertio , immortalitas animæ , quæ post hæc vitam recipiet juxta opera sua . Mysteria quæ pertinent ad medium sunt , Incarnatio filii Dei , ejusque

que mors, & resurrectio ad nostram redemptionem, & glorificationem. Ad finem pertinet mysterium sanctissimæ Trinitatis, consistens in unitate essentia, & trinitate personarum, & dari gloriam iustis, poenamque æternam peccatoribus.

22. Aliorum mysteriorum non est necessaria fides explicita necessitate medii, sed sufficit implicita: quia prædicti articuli continent implicite quicquid ad fidem pertinet: ergo sufficit explicita cognitio eorum, in quibus cæteri implicite continentur, & creduntur. Idem dicimus de mysteriis Christi Domini, sufficit enim explicita cognitio ejus divinitatis, & humanitatis, atque redemptionis per mortem, & resurrectionem illius, quia hæc sunt præcipua Incarnationis, & nostræ salutis mysteria.

23. Inq. 2. An poenitens laborans ignorantia vincibili, aut invincibili prædictorum sit capax absolutionis? R. neg. constat ex propositione 64. damnata ab Innoc. XI. *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi.*

24. Verum, si prudens Confessarius agnoscat poenitentem vere dolere de ignorantia præterita, velleque serio discere hæc mysteria, instruat illum, ut rudi saltem minerva ea percipiat, & quoad substantiam credat, cum proposito ea diligentius addiscendi, & ita sufficienter suo iudicio instructum, ac dispositum poterit absolvere, nisi differre absolutionem melius ipsi visum fuerit: quia jam nec ignorat mysteria necessaria ad salutem, nec consequenter est incapax absolutionis.

25. Advertat etiam Confessarius; quod poenitentes bardi, & rustici plures nesciunt respondere, licet substantialiter sciant mysteria, de quibus interrogantur, quia non semel accidit quærere ab eis, quod sacramentum veniant recipere? & turbati, ac timidi tacent, aut errant in responsione. Si autem quæras ab illis, an veniant ad se confitendum, & recipendam absolutionem, & veniam peccatorum? An credant sacramentum poeni-

tentiæ ad hunc finem esse institutum? libenter annunt. Igitur in hunc modum facilem, & ipsis intelligibilem, etiam circa alia mysteria, & sacramenta interrogandi sunt, & instruendi quoad substantiam.

26. Ex dictis autem plane infertur, quod ignorans mysteria Incarnationis, & Trinitatis tenetur repetere confessiones, si quas fecit cum hac ignorantia: quia non erat capax absolutionis, sicut, qui dolorem non haberet: erg. ejus confessiones fuerunt nullæ, consequenterque repetendæ: quia confessio nulla necessario est repetenda.

РУЖТУМ IV.

De credendis necessitate præcepti.

27. Diximus, quæ mysteria fidei tenetur homo scire, & credere necessitate medii, restat dicendum, quæ teneatur necessitate præcepti. Supponimus autem omnes teneri ad credendum implicite quidquid docet, & credit sancta mater Ecclesia: quo supposito.

28. Inq. Quæ mysteria credenda sint explicite necessitate præcepti? R. quod omnes fideles tenentur necessitate præcepti scire, & credere explicitè articulos omnes, qui in Symbolo Apostolorum exponuntur, ubi continentur etiam quatuordecim comprehensi in Catechismo, hispanico vulgo, *articulos de la fe.* Deinde septem Ecclesie sacramenta, præcipue baptismum, poenitentiam, & Eucharistiam, & dispositiones, quæ ad ea rite suscipienda postulantur. Cætera quatuor, licet non ab omnibus sciri sub gravi debeant, nisi suscipienda sint; non caret culpa levi eorum ignorantia.

29. Item necessaria est explicita notitia, & fides præceptorum Decalogi, & sanctæ matris Ecclesie, orationis Dominicæ, & salutationis angelicæ. Præterea debent credi explicitè quatuor novissima, nec non existentia purgatorii, suffragiorum utilitas, sacrarum reliquiarum, & Imaginum cultus, atque signatio crucis, & denique præcipue obligationes, quæ ad proprium statum, & officium spectant.

30. Hæc omnia debent sciri, & cre-

di

di explicitè, saltem quoad substantiam, ita ut interrogati valeant sufficienter pro modulo suo respondere. Sufficit ergo quod sciant mysterium Trinitatis consistere in eo, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres personæ distinctæ, & unus solus verus Deus. Similiter mysterium Incarnationis in eo, quod Filius, hoc est, secunda persona sanctissimæ Trinitatis ex Maria Virgine carnem humanam assumpsit, & ita Christus est simul verus Deus, & homo conceptus non ope viri, sed Spiritus Sancti operante virtute; quod natus fuit ex beatissima Maria, quæ semper virgo permansit. Item quod pro nobis passus, crucifixus, mortuusque fuit; non tamen necessarium est scire passum fuisse sub Pontio Pilato, & sic proportionabiliter de aliis articulis.

31. De præceptis, satis est, si sciant, & credant eorum violationem esse peccatum: ut perjurium, furtum, mendacium. De oratione dominica sufficit agnoscere universa bona tam animæ, quam corporis a Deo esse petenda. De salutatione Angelica debet sciri, sacratissimam Virginem matrem Dei benignam esse nobis præcipuam mediatricem cum Deo ad obtinenda omnia beneficia. Studeant ergo diligenter Parochi, parentes, & magistri, ut pueri hæc omnia accurate addiscant, quia memoriter ea scire, & habere ad minus sub veniali tenentur. Debent autem illa scire idiomate vulgari, vel alio sibi noto, ita ut saltem pro modulo suo ea vere percipiant, & intelligant, credi enim non potest, quod non intelligitur.

32. Ecclesiastici ad majorem notitiam omnium, quæ ad fidem pertinent, quam laici tenentur. Ideo pro majori eorum instructione dabimus in fine operis uberio-rem explicationem doctrinæ christianæ. Sacerdotes simplices debent præter illa, quæ omnibus sunt communia, scire, quæ ad proprium munus, & debitam Sacerdotii administrationem attinent. Parochi, & curati ampliori scientia pollere debent, ut oves sibi commissas circa mysteria fidei solite instruant, & pabulo salutari doctrinæ sedulo enutriant: quapropter Concilium Trid. sess. 24. de reform. cap. 4. eis præcipit, ut dominicis saltem diebus, & aliis festis solemnibus in sin-

Tom. I.

gulis Parochiis pueros fidei rudimenta, obedientiamque erga Deum, & parentes diligenter edoceant. In quo si negligenter se gesserint, abs dubio peccant mortaliter, & sanguis ovium suarum in tremendo Dei iudicio de manu eorum requiretur. Sacrorum canonum studio vacare debent ecclesiastici; in eis quippe reperient regulas sua munia recte exercendi.

33. Episcopi præ omnibus altiori studio, & eruditione sacræ scripturæ resurgere debent, ut potentes sint exhortare in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Ipsi enim sunt sal terræ, & lux mundi ad cæteros erudiendos, & fidem ab errorum tenebris defensandam, qua ratione in eorum consecratione juramento testantur se scire novum, & vetus testamentum; igitur ad Episcopos attinet, ut etiam ea, quæ difficultatem in lege facere possunt, sciant, & tantomagis, quanto in majori gradu collocantur. Inquit D. Thom. in supplem. q. 36. art. 2. ad 1.

34. Confessarii, etiam delegati, tenentur habere illam scientiam, quæ ad suum gravissimum munus rite adimplendum necessaria est, ut clavigeri cœli janua gratiæ dignis aperiant, indignis claudant, ignorantias patienter instruant, errantes benevole corrigant, & ad viam revocent veritatis. Scire ergo debent discernere inter lepram, & lepram, hoc est, peccatum mortale a veniali; item distinctionem specificam, & numericam peccatorum cum omnibus circumstantiis regulariter occurrentibus, casus reservados Diocesis, in qua confessiones excipiuntur, censuras reservatas, & irregularitates, saltem communiores, modum imponendi poenitentias salutares, tum satisfactorias, tum medicinales, habito respectu ad statum, conditionem, sexum, & peccata poenitentium, causas matrimoniales, vota, juramenta, & quomodo solvenda, commutanda, relaxanda, aut dispensanda sint. Et denique omnes materias morales, ita ut possint, saltem dubitare; & in dubio libros, aut doctores consulere, ne, si cœcus cœco ducatum præstet, ambo in foveam cadant.

35. Nom semper tenetur Confessarius interrogare de doctrina christiana omnes

Qq

pœ-

poenitentes, sed tantum illos, de quibus prudenter timet eam ignorare. Nec in hoc certa regula assignari valet, sed prudenti iudicio relinquatur. Si Confessarius poenitentem ignorantem mysteria fidei reperiat in articulo mortis, curet illi explicare, quæ necessaria sunt necessitate mediæ faciliiori modo, quo possit, & quod explicitè illis, & implicitè omnibus assensum præbeat, doleatque de præterita ignorantia cum proposito congruo tempore, si Deus illi concesserit, accuratius se instruendi, & ita beneficium absolutionis concedat.

PUNCTUM V.

De præceptis fidei.

36. Inq. 1. Quot sunt præcepta fidei? R. sunt quinque; tria affirmativa, & duo negativa: affirmativa sunt: *scire mysteria fidei, interius assentire fidei, exterius confiteri fidem*. Negativa sunt: *interius non dissentire fidei, exterius non negare fidem*. Præcepta negativa obligant semper, & pro semper, sicut alia de non occidendo, non furando, non mentiendo. Affirmativa obligant determinatis temporibus.

37. Inq. 2. An detur præceptum sciendi mysteria fidei? R. affirmat. obligatque ad alios usus rationis præditos semper, & pro semper, usque dum sciuntur, & deinceps ne obliviscantur: quia licet sit affirmativum, includit negativum non differendi, nec deserendi noticiam, & cognitionem mysteriorum fidei: quilibet enim tenetur scire ea, quæ pertinent ad proprium statum, officium, & professionem, & præcipue illa, sine quibus suo muneri impossibile est satisfacere; sed talia sunt mysteria fidei: ergo semper, & pro semper debet illa scire.

38. Nota vero, quod scire mysteria fidei, & elicere actus fidei est duplex præceptum, utrumque propter se, & obligant directe, ideoque nesciens illa, & omittens illis assentiri, duplex peccatum committit, sicut qui in die festo laboraret, & missam non audiret: quia violaret duplex præceptum propter se, ut dictum est. Non sic, qui ignoraret diem jejunii, & non jejunaret, aut nesciens

esse diem festum, sacro non assisteret, quia non datur præceptum sciendi diem jejuni, aut festi propter se, sed propter jejunium, aut sacrum.

39. Inq. 3. An detur præceptum speciale credendi fide supernaturali mysteria divina? R. affirmative: quia fidei assensus est medium necessarium ad salutem: ergo datur de illo speciale præceptum, cum abs dubio teneamur apponere medium ad salutem necessarium. Quapropter Innoc. XI. proscripsit prop. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se*, D. Th. 2. 2. q. 2.

40. Inq. 4. An hoc præceptum sit divinum, an ve ecclesiasticum? R. est divinum quoad substantiam, ut patet ex pluribus locis sacræ pagine supra adductis. Potest autem aliquo modo dici etiam ecclesiasticum quoad determinationem, ut præceptum confessionis, & Eucharistiæ: nam licet Ecclesia non præcipiat actus mere internos ratione sui, præcipit tamen illos ratione actus externi, prout ordinantur ad recipienda sacramenta, & alia munia christiana. Est etiam supernaturale præceptum credendi, tam ex parte principii, quod est Deus, ut author supernaturalis, quam ex parte objecti, quod est omne revelatum in ordine ad finem supernaturalem. Potest etiam non incongrue dici naturale: quia ipsa natura exigit, & docet credendum esse Deo aliquid revelanti.

41. Inq. 5. Quando obligat præceptum interius assentiendi fidei? R. obligat directe, & per se quinque temporibus. Primo, inter fideles in ingressu morali usus rationis. 2. Quam primum sufficienter fides proponitur adulto, qui eam non audierat. 3. In articulo: & periculo mortis. 4. Saltem semel in anno. 5. Quando urget gravis tentatio contra fidem, quæ aliter nequeat vinci, nisi per actum internum fidei.

42. In his quinque temporibus obligat directe, & per se. In primo, quia in ingressu morali usus rationis instat obligatio se convertendi in Deum; sed nequit homo converti in Deum, quem per fidem non cognoscit: ergo tunc tenetur ad assensum fidei. Dicimus in *ingressu morali* ad innuendam sufficientem fidei pro-

propositionem, capacitatem, & lucem, quæ non omnibus eodem tempore, nec qualiter affulget.

43. Obligat 2. Infideles, quam primum illis sufficienter fides proponitur: quia tenentur apponere media ad salutem necessaria; sed quando fides illis sufficienter proponitur, cognoscunt illam esse medium necessarium ad salutem: ergo tenentur hoc medium apponere, eliciendo actum fidei.

Tunc autem sufficienter fides proponitur infidelibus, quando per ministros idoneos rationibus probabilioribus exponitur illi magis credibilis, quam alia secta. Nam licet pro hac habeat opinionem probabilem, debet amplecti probabiliorum, nec aliter excusatur ab infidelitate, ut aperte declarat Innocent. XI. damnans propos. 4. *Ab infidelitate excusatur infidelis ductus opinione probabilis*.

44. Obligat 3. in articulo mortis, quia tunc sunt graviores tentationes, quibus resistendum est per fidem juxta illud Petri cap. 5. *cui resistite fortes in fide*. Qua etiam ratione merito Ecclesia præcipit ante receptionem sacramentorum in illo articulo fidei confessionem facere.

45. Obligat 4. Saltem semel in anno: quia præceptum confessionis, & communionis ex ordinatione Ecclesiæ obligat saltem semel in anno: ergo potiori titulo præceptum fidei: cum hæc virtus sit adeo necessaria, non solum ad æternam salutem, sed etiam ad ipsa sacramenta recipienda. Unde merito confixa est ab Alexandro VII. propos. 1. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinarum ad eas virtutes pertinentium, & alia, quæ est 17. ab Innoc. XI. satis est actum fidei semel in vita elicere*. Et altera ab eodem, quæ est 65. dicens circa mysteria Trinitatis, & Incarnationis: *sufficit illa mysteria semel credidisse*.

46. Plurimum distat ab his opinionibus sententia P. P. Salmanticensium, qui hic ita loquuntur. *Certe nobiscum valde pie, & remisse agitur, dum semel repetere hos actus quotannis jubemur*. Scotus censet præceptum fidei obligare per se omnibus diebus festis. Textus hujus obligationis non datur, sed revera ratio

naturalis non contradicit; quia justus ex fide vivit: languida ergo est fides, quæ tantum semel in anno reficitur. Genetus non præfigit tempus; solum dicit: *Nos sæpe elicere debere actus hujus virtutis*. Nec de spe, & caritate illud assignat. Nos vero dicimus cum communi, saltem semel in anno obligare actus fidei, spei, & caritatis.

47. Bened. XIV. in Bulla *Cum religiosi*, hortatur Parochos, ut ante, vel post parochialem missam, alia voce recitent actus fidei, spei, & caritatis, populo respondente, ubi hic usus laudabilis prævalet: cureturque recipiendus, ubi hæc usus non obtinuit.

48. Verum est, quod fides pluries exercetur in anno a quolibet fidei. Vadit enim saltem diebus festis ad Ecclesiam, aqua benedicta utitur, signo crucis munitur, ad altare genuflectit, orat, sacrificio assistit, hostiam adorat, sacramenta aliquando suscipit, symbolum recitat: hæc autem omnia sunt actus practici, & quedam protestationes fidei. Quod notare debent Confessarii, ut suos poenitentes monent, ne defectu considerationis, & directionis fructum tot bonorum operum, & actuum amittant.

49. Obligat 5. Præceptum eliciendi actum fidei, quando urget gravis tentatio contra fidem, quæ aliter vinci non potest: quia tenemur assumere medium necessarium ad vincendam tentationem, quod tunc aliud non est, quam actus fidei.

50. Demum per accidens tenemur elicere actum fidei, quoties obligat aliud præceptum, quod sine illo adimpleri non possit. Ut præceptum spei, caritatis, confessionis, religionis, aut alterius virtutis, quod absque fide adimpleri non valet. Similiter quando urget Tyrannus ad negandam fidem: quia tunc tenetur homo exterius confiteri fidem, ad quod necessario debet roborari per actum interiorum, per quem validius fidem exterius fateatur: ergo in hoc casu tenetur per accidens elicere actum fidei.

51. Nota 1. Quod præceptum potest obligare directe, & per se; & indirecte, & per accidens. Tunc obligat directe, & per se, quando obligat ratione sui: Ut præceptum annuæ confessionis præcipit

pit ratione sui, ut quis saltem semel in anno confiteatur. Tunc obligat *indirecte*, & *per accidens*, quando obligat *ratione alterius præcepti*, quod non potest adimpleri sine illo: ut cum præcipitur confessio ratione communionis.

52. Nota 2. Differentiam inter præceptum, quando obligat *directe*, & *indirecte*; quod in primo casu omissio illius est peccatum distinctum a peccato omissionis alterius præcepti, ut omissio confessionis, quando obligat *per se*, est distinctum peccatum ob omissione communionis, & utrumque debet confiteri: verum quando obligat *indirecte*, & *per accidens*, omissio illius non constituit diversum peccatum ab omissione alterius præcepti. Unde qui semel jam adimplevit præceptum annuæ confessionis, si postea, ommissa confessione, sumat indigne communionem in Paschate, unum tantum peccatum sacrilegii committit: quia in eo eventu præceptum confessionis solum obligat *indirecte* ratione communionis.

PUNCTUM VI.

De præcepto exterius confitendi fidem.

53. Inq. 1. An detur præceptum divinum exterius confitendi fidem? R. affirm. constat ex Apost. ad Rom. 10. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Patet etiam ratione, quia homo constat anima, & corpore: ergo utroque debet confiteri fidem, ac demonstrare se esse fidelem, præcipue quando id exigit honor Dei, & utilitas proximi. Ita D. Thom. 2. 2. q. 3. a. 2.

54. Inq. 2. Quando obligat determinate hoc præceptum? R. obligat *directe*, & *per se* quinque temporibus. 1. Quando interrogamur de fide a Iudice tyranno, vel ab alio ex ejus commissione. 2. Quando viderimus conculcare sacras imagines vel illas injuriis afficere. 3. Quando confessio fidei est necessaria ad firmandum proximum in fide, & ex parte sua vires sufficientes agnoscit. 4. Quando aliquis adultus baptizandus fuerit. 5. Quando aliquis recipit Institutionem canonicam, seu alium gradum iuxta dicenda.

55. Obligat 1. Quando quis interrogatur de fide a tyranno, vel potestate publica, quia tunc agitur de causa religionis, & de honore, & cultu Deo debito: debet ergo respondere de plano sine amphibologia, & fidem divinam confiteri. Unde proscripta est ab Innocent. XI. prop. 18. *Si apotestate publica quis interrogetur, fidem in genere confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum, consilio; tacere, ut peccaminosum per se non damno.*

56. Verum si a tyranno, vel potestate publica interrogatio fiat, non ratione fidei, aut religionis, sed ratione nationis, aut alterius motivi naturalis, non peccaret graviter fidelis contra confessionem fidei, tacendo, aut simulando se esse Christianum: quia interrogatio interpretanda est juxta animum interrogantis, qui supponitur non dirigi ad fidem, nec ad causam religionis.

57. Diximus debere respondere de plano ad interrogationem tyranni, intellige, si fugam interrogatus non capiat, quod licitum est, ut const. ex illo Matth. 10. *Cum vos persequerentur in civitate ista, fugite in aliam*. Imo tenetur fugere, si timeat vim tormentorum non posse sustinere, vel persona adeo utilis est Ecclesie, ut ejus vita sit illi valde necessaria. Ita se gessit D. Paulus demissus in sporta, ut fugeret manus Præpositi Damasci. Sic D. Athanasius, & alii. Ceterum si præsentia illius necessaria sit ad fidem promovendam, & in ea imbecilles roborandum, tenetur non fugere, sed constanter fidem confiteri, & vitam pro fide libenter tradere.

58. Episcopi autem, & alii Pastores tunc solum poterunt fugere, quando ipsi queruntur ad necem, dummodo grege de idoneis ministris provideatur. Si vero queratur totus grex, & eorum præsentia sit necessaria ad illum in fide confirmandum, tunc ex justitia, & caritate tenentur animam ponere pro ovibus suis, ne sit sicut mercenarius, qui dimittit oves, & inglorius, inersque fugit.

59. Si quis autem interrogetur a persona privata, distinguendum est. Vel enim ex omissione confessionis fidei subtrahitur honor divinus, aut utilitas proximi, vel non: si primum, tenetur fidelis sub gravi exterius confiteri fidem; si

se.

secundum, potest tacere, vel declinare responsum, vel despiciere illum, dicens: *quid ad te? quid tua interest?* Idem dicitur, si ex confessione fidei nullus speratur fructus, aut timeatur ansam præberi improbitati interrogantis, vel sequatur turbatio infidelium, & nulla utilitas fidelium. Ut docet D. Thom. ubi supra ad 3.

60. Obligat 2. Præceptum externæ confessionis fidei, cum viderimus sacras imagines conculcari, aut irrideri res fidei, aut Creatorem contumeliari: quia tunc fides, & religio catholica despicitur, & honor debitus Deo, & ejus sanctis subtrahitur per contrariam contumeliam: ergo urget præceptum confitendi fidem, & propulsandi ejus injuriam. D. Th. 2. 2. q. 3. a. 2.

61. Obligat 3. Dum est necessaria confessio externa ad confirmandum proximum in fide titubantem: hujus ratio est; quia semper ac subtrahitur honor divinus, ut in duplici casu antecedenti, aut utilitas proximi, ut in præsentia, urget præceptum fidei juxta doctrinam D. Th. loco supra laudato. Hujus veritatis illustre exemplum in Ecclesia reliquit inclitus Martyr S. Sebastianus, qui aliquando simulavit se esse Christianum; quando autem vidit Marcum, & Marcellinum in fide vacillari, tunc heroice prodit, & fidem Christi palam confitens, sua exhortatione ita eos confirmavit, ut non solum ipsi, sed multi alii ultro se tortoribus offerrent.

62. Obligat 4. Quando aliquis adultus baptizandus fuerit, quia debet interius, & exterius se conformare cum fide, quam in baptismo confitetur, & amplectitur. Etsi fuerit hæreticus, prius errores, quos habuit, abjurare debet. Quod etiam verificatur, & necessarium est in catholico, si incidat in hæresim publicam.

63. Obligat 5. Quando quis suscipit aliquam institutionem canonicam, beneficium curatum, aut alium gradum, cui annexum sit munus docendi. Hoc præceptum est ecclesiasticum, & constat ex Tridentino sess. 24. cap. 12. & sess. 25. cap. 2. & ex Bulla Pii IV. *In sacramenta*, confirmativa decreti Concilii, & extensiva ad omnes magistros, & professores cujuscumque facultatis, & ex alio

Tom. I.

motu proprio ejusdem, *Injunctum nobis*, ampliativo ad Prælatos regulares, etiam ordinum militarium. Ubi sub poena privationis dignitatum, & excommunicationis læe sententiæ præcipit omnibus respectivè dictam professionem fidei emittere.

64. Igitur Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates, & ceteri Prælati etiam regulares, rectores Universitatum, doctores, lectores, & magistri ad illam tenentur. Deinde canonici, dignitates Ecclesie cathedralis debent illam emitte coram Episcopo, & capitulo, beneficiarii autem curam animarum habentes coram Episcopo, vel ejus Vicario. Omnes isti, si intra bimestre a die pacificæ possessionis, etiam inculpabiliter omittant dictam professionem, non faciunt fructus suos, & ipso facto tenentur ad restitutionem eorum, nullo enim modo acquirunt eorum dominium. Qui circa hanc materiam plura desiderat, consular N. Salmanticenses, qui pro dignitate eam dilucidant, & resolvuntque hanc professionem debere fieri personaliter, & non per procuratorem. Denique apponunt formulam hujusmodi professionis. Tract. 21. c. 2. n. 95.

PUNCTUM VII.

De præcepto negativo exterius non dissentendi fidei.

65. Inq. 1. An detur præceptum divinum obligans semper, & pro semper ad non negandam exterius fidem? R. affirm. patet ex cap. 10. *Matth. Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*. Unde, qui negaret explicitè esse Christianum, aut Romanistam, vel Papistam, negaret explicitè fidem, quia negans se esse Christianum, negat se credere in Christum; hoc fuit peccatum D. Petri, qui præ timore negavit exterius se esse discipulum Christi, id est, esse Christianum.

66. Hoc autem intelligitur dum nomen Christiani, aut Papæ sumitur, ut nomen religionis; non vero quando accipitur, ut nomen nationis; tunc enim licet mentiat, non negat fidem, sed nationem. Idem est, si negaret se esse clericum,

Rr

Sa-

Sacerdotem, vel religiosum, ut pluries in Anglia accidere potest; quia in hoc solum negatur status, aut munus, non fides. Verum si quis rogatus, an sit Turca, vel Lutheranus, affirmaret, procul dubio negat fidem, nisi interrogatio esset de patria, in quo casu non violaretur fides. Nec similiter si verba, aut facta fidem negantia dicantur, aut fiant tantum joci causa, ut in comediis, & theatris: quia non proferuntur serio, sed representationis causa. Ut si quis repræsentaret Mahomam, Lutherum, aut Diabolum.

67. Inq. 2. An ob vitandam mortem licitum sit Idolo thus adolere, aut eidem genuflectere, vel alium cultum tribuere? R. Negat. quia hoc, licet deficiat consensus interior, revera est fidem exteriorius negare; ex opposito numquam factis negaretur fides, quod est falsum apud omnes. Nec admitti potest simulatio materialis, ubi actiones per se, & ex natura sua significant cultum, & adorationem. Unde quidam ritus Sinenses, quibus dabatur externus cultus *Confutio*, & internus Crucifixio, pluries merito sunt proscripti ab Ecclesia.

68. Objic. 1. Æliseum permisit Namam genuflectere in templo coram *Remmon*. R. Æliseum solum permisisse Naaman comitari dominum suum, & ei politicum obsequium præstare, sicut famula captiva potest in similibus inservire dominæ suæ, sive intra, sive extra templum.

69. Objic. 2. Jehu simulavit velle sacrificare Baal, quod videtur a Deo laudari 4. Reg. 10. R. Jehu peccasse in simulatione, quam Deus non approbat, sed voluntatem, & zelum occidendi Prophetas Baal, & destruendi cultum ejus.

70. Objic. 3. D. Paulus circumcidit Thimotheum Act. 16. Se totondit, & purificavit in templo juxta ritum veteris legis, cap. 18. & 21. R. quod tunc ceremoniæ veteris legis, licet essent mortuæ, non tamen mortiferæ, & sic poterant observari in utilitatem Judæorum absque ulla culpa. Post promulgationem vero perfectam Evangelii mortiferæ sunt, maxime post const. Bened. XIV. *Inter omnigenas*, & alias, quibus severe prohibet circumcissionem, aliosque ritus Turcicos, & nomina Mahometica, ut protestationes sectæ Mahometis, & virtuales

negationem Christianæ religionis.

71. Inq. 3. An in hoc præcepto detur parvitas materiæ? R. neg. nisi ex defectu deliberationis, quia quodlibet mendacium, quantumvis leve destruit fidem, vel est contra fidem: erg. grave. Unde prædicare aliquod miraculum falsum, vel sacram Scripturam variare est peccatum lethale; verum si aliquis referat Genesim pro Exodo, vel capitulum quartum pro octavo, Isaiam pro Hieremia, aut Petrum pro Paulo, non deliberate, sed quia tunc non occurrit, non peccaret graviter, immo nec leviter, si ex lapsu linguæ, aut oblivione illud proferat.

PUNCTUM VIII.

De præcepto non utendi vestibus, aut signis infidelium.

72. Inq. 1. An liceat catholicis ad fidem occultandam uti aliquando vestibus infidelium? Pro responsione notandum est, vestes infidelium tripliciter posse considerari. 1. Juxta morem patriæ, aut regni sine ullo respectu ad religionem; ut Cidaribus apud Mauros. 2. ad protestandam propriam religionem, & sectam: ut apud Judeos vestis summi Sacerdotis: & apud Turcas vestes cum imagine Mahometi. 3. Non ad protestandam religionem, sed ad distinguendos homines unius sectæ ab aliis, ut pileus ruber prodit Romæ Judeos, & Tobalia ubique Turcas, & Sarracenos. Nulla est difficultas de vestibus primi generis, cum enim instituta non sint ad protestandam religionem, & sectam, potest catholicus illis uti justa de causa absque ulla culpa: quo supposito.

73. R. 1. Esse omnino illicitum vestibus secundi generis uti ad occultandam fidem: quia talia indumenta instituta sunt per se primo ad protestandam religionem: ergo sicut illicitum est falsam religionem protestari, ita dictis vestibus uti. Verum si quis propriis vestibus a latronibus denudaretur, vel alio eventu nudus penitus remaneret, ut nuditatem operiretur, aut frigus repelleret, suæque necessitati provideret, vestes infidelium, etiam Sacerdotales induere posset: quia

eo

eo eventu nullus prudenter judicare valet, illa indumenta deservire ad protestandam fidem, sed ad cooperiendam nuditatem.

74. R. 2. Licitum esse catholico uti ex justa causa vestibus tertii generis, quia tales vestes non sunt institutæ ad protestandam fidem, sed tantum ad cognoscendam conditionem personarum, quæ hanc, vel illam gabbellam solvere debent, vel separatim habitare teneantur: erg. gestatio talis indumenti nequam est protestatio falsæ religionis; alias nullus Princeps catholicus eam publice permittere potest. Notandum vero est, quod si in dictis vestibus sit depicta imago Mahometi, vel alterius idoli ad protestandam ejus sectam, jam transeunt ad classem vestium secundi generis, ac proinde illicitus est earum usus.

75. Inq. 2. An si Princeps infidelis, aut hæreticus præciperet omaibus existentibus in suis dominiis, vel suis propriis subditis uti veste, aut signo peculiari in cultum, & honorem suæ religionis, catholicus ibi existens posset illa gestare ob vitandam mortem? R. negative: atque idem est, si juberet ingredi templa hæreticorum ad conciones eorum audiendas, aut fundendas cum eis preces. Constat ex duplici Bulla Paul. V. quibus omne id prohibetur. Uno verbo, quoties usus vestium, ingressus templorum, essus carniæ, aut quid simile juberetur in honorem, aut protestationem falsæ religionis, teneretur catholicus prius amittere vitam, quam præstare obsequium, quia tunc obedientia cederet in contemptum religionis. Si vero non adsit talis protestatio, neque scandalum, licita sunt catholicis hæc, & similia ex justa causa. Vide Const. Bened. XIV. quæ incipit, *Inter omnigenas*.

76. Ex dictis sequitur 1. Licitum esse in articulo mortis, seu extrema necessitate adire templa hæreticorum ad suscipiendum baptismum, & alia sacramenta, si quæ valide ibi ministrentur. Nam sacramenta non sunt propria alicujus sectæ, sed Ecclesiæ catholicæ, licet aliqua ab hæreticis asportata, & velut furata sint: ergo licite recipi possunt in extrema necessitate a quocumque valide illa conferente.

77. Sequitur 2. etiam licitum esse justa de causa, ut ad conservandam amicitiam, assistere nuptiis, & funeribus hæreticorum, modo in precibus, & ceremoniis nulla sit communicatio.

78. Sequitur 3. Licere catholicis ad vitandam mortem, vel aliud grave damnum, in regionibus hæreticorum edere carnes diebus vetitis ab Ecclesia: quia variis de causis potest honestari illarum comestio, nec præcepta Ecclesiæ obligant cum tanto detrimento. Nec essus carniæ diebus vetitis est abnegatio veræ fidei; licet edens frequenter carnes, aut ova, & lacticia contra prohibitionem Ecclesiæ absque necessitate, & privilegio sit suspectus de hæresi.

79. Sequitur 4. Quid sit dicendum de *Idolotytis*? Panis, frumentum, carnes, vinum, & alia esculenta consecrata Idolis appellatur *Idolotytia*. Igitur justa interveniente causa, licitum est catholicis ea edere: quia cibi ordinati sunt a natura ad alendum corpus: ergo præciso scandalo, sprete infidelium superstitione, licitum est eorum usus, & essus ad vitam conservandam.

80. Inq. 3. An sit licitum catholicis ob mortem vitandam vesci publice carnibus die veneris apud illos hæreticos, qui id tali die instituerunt in signum libertatis suæ sectæ? R. negat. quia esto carniæ essus sit ex se indifferens, ubi vero eduntur in contemptum legis ecclesiasticæ, & in protestationem Calvinistæ, aut alteris sectæ, jam talis essus non est indifferens, sed actio protestativa illius sectæ: Sicut etiam est coena hæreticorum, cui eadem ratione nullus catholicus assistere valet, sed potius deberet gloriosam mortem subire, quam vitam corruptibilem conservare, ut fecere invicissimus Eleazarus, & fortissimi septem Machabei.

PUNCTUM IX.

An liceat catholicis de rebus fidei cum hæreticis disputare?

81. Nemini laicorum licitum est disputare publice, vel private cum infidelibus, aut hæreticis de rebus fidei. Const. ex cap. *Quicumque* §. *Inbibemus de hæresi*.

ti

tiis in 6. Ubi inhibetur omni personæ laicæ similis disputatio sub poena excommunicationis *facienda*. Obligat tamen sub mortali, & comprehendit quemlibet laicum quantumvis doctum: quia est lex fundata in præsumptione non facti, sed periculi, quæ semper obligat, esto deficiat ejus finis privative in aliquo casu particulari; sed si deficiat contrarie, ut quando insultaretur fides catholica ab aliquo infideli, aut cum periculo deceptionis audientium, posset, immo deberet laicus vere doctus, deficiente clerico idoneo, disputare cum illo ad reprimendam ejus audaciam, & fidei injuriam propulsandam. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit, ait D. Th. cum S. Greg. 2. 2. q. 10. art. 7.

82. Omnibus etiam ecclesiasticis, sive sæcularibus, sive regularibus imperitis prohibetur esse disputare cum hæreticis de rebus fidei, non ex vi prædictæ legis, quæ illos non comprehendit, sed ex vi legis naturalis, quæ prohibet se exponere perversioni, & fidem irrisioni cum adstantium scandalo, quod apud omnes est peccatum grave.

83. Solis igitur clericis, & religionis sufficienti scientia instructis communis sententia id concedit. Illis, inquam, qui dogmata, & controversias fidei apprimè callent, & sacra pollent eruditione. Prudens enim circumspectio necessaria est, ut quis cum hæreticis ad certamen exeat, & in arenam descendat, ipsorum quippe effugia plura sunt, argumenta sophistica, & magna astutia, omnique dolo plena eorum responsio.

84. Numquam debent catholici cum hæreticis de fide disputare coram Principe sæculari, qui ut Judex controversiæ assistere velit, licet enim Principes seculares adesse ut protectores æquum sit, etiam in Conciliis, aut Synodis, uti Constantinus M. in Concilio Nicæno; nusquam tamen ut Judices in causa fidei. Quia judicare de rebus fidei attinet ad Sacerdotes, non ab laicos. Qua ratione S. Ambrosius ad Imperatorem Valentiniano vocatus ad disputandum coram ipso cum Auxentio Episcopo Arriano; merito comparere noluit, sed ut sanctus, &

doctor Imperatori respondit: quod, inspesta serie scripturæ divinæ, ac veterum temporum, in causa fidei solent Episcopi judicare de Imperatoribus; non Imperatores de Episcopis.

CAPUT II.

De vitiiis, & peccatis fidei oppositis.

РУКСТУМ I.

Notio, & divisio infidelitatis.

85. Inq. 1. Quæ peccata tendant contra fidem? R. peccata commissionis, & omissionis: peccata omissionis tendunt contra præcepta affirmativa, & omittendo scire mysteria fidei, & elicere ejus actus internos, & externos temporibus assignatis. Peccata commissionis tendunt contra præcepta negativa, quæ violantur per infidelitatem, quæ est vitium primo fidei oppositum.

86. Inq. 2. Quid, & quotuplex sit infidelitas? R. infidelitas in communi est *carentia fidei*. Dividitur in *negativam*, *privativam*, & *positivam*. *Negativa* est *carentia fidei in illis, qui nunquam de fide audierunt*. Hæc infidelitas non est peccatum, sed poena primi peccati. Infideles negativi salvari nequeunt, nisi fidei lucem prius consequantur; non tamen damnantur propter infidelitatem, quæ involuntaria est, sed ob alia peccata personalia, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 1. Unde ab Ecclesia damnata est propositio 68. *Baji: Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

87. *Privativa* est *carentia fidei in illis, qui, dum aliquid de fide saltem in confuso audierunt, non curant amplius audire, nec de ea inquirere*. Hæc infidelitas grave peccatum est, qui enim consulto negligit, & recusat inquirere, quod potest, & debet, abs dubio graviter peccat, verificaturque de illo: *Qui non credit, jam judicatus est. Joan. 5.* Hujusmodi sunt plures pagani, Turcæ, Saraceni, & similes, qui notitiam habentes veræ fidei, minime curant, vel potius resistunt illuminari.

88. Infidelitas positiva est *carentia fidei*

dei in eo, qui fidei sufficienter propositæ pertinaciter resistit, aut contrarium defendit. Hoc proprie, dicit D. Thom. est infidelitatis peccatum, gravissimum quidem, cum per illud omnium virtutum fundamentum destruat. Hujusmodi sunt infideles viciniores Christianis, & sagaciores inter Mahometanos, & præsertim hæreticos, qui sufficientem fidei notitiam callentes, positive resistunt divinæ veritati.

89. Inq. 3. Quotuplex sit infidelitas positiva? R. est triplex: *Paganismus, judaismus, & hæresis*. *Paganismus* (qui ita vocatur a Pagis, eo quod Gentiles exibat a civitatibus ad Pagos pro Idolis colendis) est *recessus pertinax à fide non suscepta*. *Judaismus* est *recessus pertinax à fide suscepta in figura*. *Hæresis* est *recessus voluntarius, & pertinax a doctrina, & veritate fidei jam suscepta*.

Pro quo notandum est non intelligi definitiones de habitu fidei, aut de fide subjectiva, quia Judæi, nec plures hæretici habitum fidei unquam susceperunt, sicut nec adulti, qui cum aliquo errore baptizantur. Sed de fide objectiva: in hac autem susceptione fidei objectivæ conveniunt judæi cum hæreticis in admissione veteris testamenti, & distinguuntur in eo, quod hæretici admittunt etiam novum. Pagani vero neutrum testamentum admittunt, in quo conveniunt cum Turcis, quia licet isti aliqua veteris, & novi testamenti admittant, non tamen ut a Deo, sed a suo Mahometo tradita. *Atheismus* omnem scripturam, & Deum negat; sed convenit cum Paganismo in recessu pertinaci a fide non suscepta, quod est deformati ad infidelitatem: Unde *atheismus & Turcismus* comprehenduntur sub *paganismo*. Etiam comprehenditur *Polytheismus*, id est *pluralitas Deorum*; & *Deismus*, id est *Deus sine providentia*: Unde ejus falsi assertores dicuntur *Deistæ*.

90. Ex quibus constat divisionem infidelitatis positivæ in *paganismum, judaismum, & hæresim* tamquam in tres species infidelitatis esse adæquatam, ut docet Angelic. ubi supra art. 5. Vel enim quis recedit a fide non suscepta, & sic est *paganismus*, vel recedit a fide suscepta in figura, & sic est *judaismus*; vel recedit a fide in veritate suscepta, & sic

Tom. I.

est *hæresis*; sed ad istas tres species reducuntur omnes aliæ sectæ cum sola distinctione majoris, vel minoris erroris, & recessus, quod se habet de materiali ad fidem: erg. prædicta divisio est adæquata. Ex quo ulterius oritur, quod hæc diversitas debeat in confessione explicari. Item quod si *paganismum*, aut *judaismum* amplectatur catholicus, duplex peccatum specie distinctum contra fidem committit: alterum recessus a fide, alterum *judaismi*, aut *paganismi*, teneturque eas circumstantias in confessione aperire.

91. Inq. 4. Quantum, & quale sit peccatum infidelitatis positivæ? R. esse maximum omnium, quæ contingunt in perversione morum, excepto odio Dei. Ita D. Thom. art. 3. At inter ejus species, hæresis est absolute, & intensive peccatum gravius, quia majori luce, & cognitione resistit veritatibus fidei. *Paganismus* est gravius extensive, quia deficit a tota fide; *judaismus* autem potest dici peccatum omnium maximum, non quidem propter speciem infidelitatis, sed propter obstinatum odium in Christum Dominum, quod secum retinent, ut hereditarium illius perfidie a suis progenitoribus conclamata, *sanguis ejus super nos, & super filios nostros. Matth. 27. 25.*

92. Quantumvis ex se illicita sit permissio habitandi infideles cum Catholicis, toleratur tamen a Principibus Christianis ex gravissimis causis, ob majus bonum religionis, vel vitandum gravius damnum: qua ratione etiam permitti potest libertas conscientiæ in aliquibus Provinciis, ne videlicet, volentes eradicare zizaniam, eradicent simul & triticum. Verum est, quod difficilium debet permitti habitatio hæreticis, quam paganis, & judæis: nam isti facillius in sua secta contineantur, minusque periculum perversionis inducunt. Vix, aut nunquam auditum est Catholicum ad judaismum transisse, cum passim summo dolore audiamus transitum Catholicorum ad hæreses, vel ab ipsis seducti, vel a propria superbia, desiderii carnalibus, & amore libertatis arrepti.

93. Tolerantia judæorum inter Catholicos non est absoluta, sed quibusdam conditionibus. Prima, ut suos ritus non

S

exer-